

Joachim Crell Henning Gerdes

## **Disputatio Politica De Legibus**

Rostochii: Kilius, 1644

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729614271>


Druck Freier  Zugang



Ru phil 1644  
Joachim Grell  
Henning Christoph Surdusin









DISPUTATIO POLITICA  
DE  
LEGIBUS,

*Quam*

Divinâ favente gratiâ,  
Ex Consensu Amplissimæ Facultatis  
Philosophicæ in Illustri Rosarum Academiâ.

SUB PRÆSIDIO


DN. M. JOACHIMI CRELLII,  
Rugiani.

*Publico placido, συμφιλοσοφούντων Examine  
veniendam subjicit*

AUTOR ET RESPONDENS

HENNINGUS CHRISTOPHORUS *Gerdesen/*  
Greiffswaldiâ Pomeranus.

*In Acroaterio Majori ad diem 5. Junij.  
horis matutinis.*



ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.

ANNO M. DC. XLIV.









## Spiritus Alme Jura.

### PROOEMIUM.



Uti animum ad Studium aliquod applicaturus est, omnium primo id operam dare debet, ut prima ejus principia & fundamenta probe cognita habeat & perspecta: Principis enim ignorantis nemo facile potest in principiatorum cognitionem venire, juxta vulgatam Scholasticorum Regulam. Sic u qui Jurū scientiam desiderat, Politices prius cognitionem habeat necesse est. Hæc enim studia arctissime inter se sunt conjuncta, adeo quidem, ut Jurū prudentia sine Politices cognitione non sit ita omnibus numeris plena: Unde & tritum illud veriverbum: Ubi desinit Politicus, ibi incipit Jctus. Secus autem qui faciunt, in rivulis versantur neglecto fonte, & ambulant sine prænotione finis in quem tendunt. Cū igitur & nostra studia ad eundem colliment scopū, merito nobis commendatam habemus Politicam, & in eā doctrinam illam nobilissimam & utilissimam que agit de Legibus, cum earum tractatio & Politico, & futuro Jcto maxime sit necessaria. Hujus igitur Materie Theoriam in presenti discursu paulo enucleatius proponere decrevimus. Quia vero nostra hæc in literarum studiis peregrinatio sine supremā luce miserabilis est erratio, Rogamus te, O Magne DEUS! ut corda & mentes nostras S. S. tuo Spiritu compleas, quo nobis, quantum loci, temporis & argumenti captus fert, grata tibi dicere liceat, nobisq; fructifera.

Da facilem cursum & conatibus  
annue nostris.

Membrum I. De Eumethodiā.

§. 1.

INitio non abs re fore putamus, si ostenderimus ad quam disciplinam spectet doctrina de Legibus, ut ex ejus naturā postmodum eō rectius de Legum conditione judicare queamus. Hic autem tanquam certum & indubitatum præsupponimus ad

A 2

disci-



*disciplinam aliquam Practicam, non vero ad Theoreticam esse revocandam, quippe non in nudâ cognitione subsistit, sed actiones morales ad æquitatem componere docet. Inter Practicas autem duæ sunt disciplinæ, quæ hanc materiam sibi vindicare possent. Politica scilicet & Jurisprudentia: de his quæritur, utri potius Legum Doctrina sit ascribenda? Nos ne alterutri injuriam fecisse videamur, non tam nostris quam Politicorum verbis, litem hanc componemus: Sic enim Velftenius inquit Decade 1. questione 9. centur. questionum Politicarum: Juro non licet de Jure & Lege disputare, sed ex lata à Politico Lege debet judicare. Et iterum: Jctus moderatur Rempubicam interpretando & respondendo; Politicus vero providendo, & sanciendo. Ex quibus verbis id colligimus, quod Leges ad utramq; quidem disciplinam pertineant, sed diverso respectu: Nam Legis sanctio & promulgatio Politico adscribitur: Applicatio vero ad Speciales casus, & sententia juxta Leges concepta, seu concipienda adjudicatur Jcto. Hinc Effectum Legis Jurisprudentia tractabit: Leges vero ipsas Politicus sibi vindicat. Has autem considerat tanquam normam secundum quam administratio Reipublicæ institui debet.*

### *Membrum II. De Nomine.*

§. 2. *Nominis evolutio multū facere solet ad Essentia ipsius cognitionem, hinc ab illâ incipiendum censemus, ut via postmodum sit planior & tutior. In Nomine autem expendenda veniunt tria: 1. Notatio: 2. Vocis equivocatio: & 3. Distinctio à Cognatâ.*

#### *Punctus 1. de Etymologiâ.*

§ 3. *Notatio sumitur, vel (1) ex Materiâ Legû: Et sic Lex dicitur ab eligendo, quod sit lecta, vel quasi selecta ex pluribus statutis sententia, vel quod sit eligendorum norma. (Cicerolibro 1. de L.L. deducit Legem à diligendo, quod scilicet delectum actionum faciendarum & fugiendarum monstret:) Vel (2) à Formâ externâ, videlicet à legendo, propterea, quod Leges olim publice legi consueverint, quam ob causam etiam Lex à nonnullis per Orationem definitur Vel (3) à Formâ Internâ scilicet a ligando, propterea, quod Lex vim obligandi habeat, quibus lata est, ad facienda ea, quæ alioquin propter laborem & molestiam, quæ his conjuncta sunt, non facerent*



rent; idq; vel ad obedientiam, vel ad poenam. A primâ Notatione Grammaticè: A tertîâ Logicè rectius deducitur.

*Punctus 2. de Homonymiâ.*

§. 4. Cum autem Vox Legis latissimè se extendat, & varias sub se complectatur distinctiones, ut constet de quâ lege Politicus potissimum agat, paucis illas ventilabimus.

§. 5. *Lex ratione Efficientis est vel Divina, vel Humana.* Illa DEUM; hæc homines Authores habet: *Divina* iterum vel est *inscripta cordibus*; vel *promulgata Judæis*: Illa *Lex Naturæ* salutatur, ad quam revocantur *Principia Præctica*, quæ nobiscum nata dicuntur. ut *Honeste vivere, Neminem ledere, Suum cuique tribuere.* Hæc iterum triplex: Vel est *Ceremonialis*: Vel *Forensis*: Vel *Moralis*: Ex quibus *illa & ista*, Rempublicam Judaicam tantum attinebant pro ratione circumstantiarum, secundum quas lata erant. Hæc vero, quæ nobis *Decalogus* dicitur, omnes homines etiamnum obligat, & ex hac omnes Leges Civiles, tanquam ex fonte & scaturigine suâ sunt deductæ. *Lex Humana* iterum dispecti potest in *Jus gentium & Positivum.* *Jus gentium* nobis *Jus Naturale secundarium* dicitur: nam illud est vel *Rationis*, quod ipsa ratio è Principiis primis dicitur; vel *Ratiocinationis*, quod discursus mentis inde colligit & statuit: Illud *Jus Naturæ* in Specie; Hoc *Jus gentium* seu *Naturale secundarium* denominamus. *Positivum* iterum est vel *de Republicâ constituendâ*, & dicitur *Lex Fundamentalis*; vel *de eâ administrandâ*, & dicitur *Civilis* seu *Positiva* in Specie, quæ norma est, secundum quam Princeps administrat Principatum. *Schonborn*: lib. 3. Politicorum capite 1. Et hæc est, quam præprimis intendit *Politicus*, cujus *necessitatem* ita evincimus. *Lex Naturæ* tria generalia quidem præcepta ponit, & in genere, quid sit agendum & fugiendum præscribit: at non omnes valent eo ingenio, ut ex generalibus illis deducere possint, quod in specialibus casibus sit statuendum. Specialibus igitur ex hisce ut Principiis deductis, & ad Reipublicæ statum accommodatis, opus est, quæ non derogant Legi Naturæ & ejus perfectioni in se conderata.

*Punctus 3. de Paronymiâ.*

§. 6. Voces Legû & Juris magnam inter se cognationem alunt.



& tamen ab invicem quoque distinguuntur. Harum ergo *Convenientia* & *Differentia* ad evitandam conceptuum confusionem eruenda, quod fieri nequit, nisi primum voces ab equivocationibus fuerint liberatæ. *Legis* vocem quomodo capiamus, modo diximus. *Juris* Vocabulum modo idem notat, modo *Juris* scientiam indigitat, modo aggregatum Legum, sive in *Habitu*, sive in *Libro* designat, modo *Legi* ut *Effectum* *Causæ* contradistinguitur. Nos salvo rectius sentientium judicio, si voces proprie sumantur, ita differre censemus, ut *Lex* sit quasi *Norma Juris*. *Jus* vero *Effectum Legis*. *Lex* sit *Regula faciendorum & omitendorum*. *Jus* vero *Sententia ex Regula ad factum applicata*. Hinc *Lex* quasi *Majorem statuit*. *Jus Conclusionem inde colligit*, ut v. g. *Lex* est, Qui adulterium committit capite plectatur: Sub hac si *Minor* factum subsumperit, v. g. *Titius* adulterium commisit: Tum in *Conclusionem* colligetur, Ergo *Titius* capite plectetur secundum *Legem* illam. Quod abstractivè consideratum *Jus* dici meretur. *A Jure consuetudinario* vero quomodo differat, vel hinc quoque patet, quod *Jus consuetudinarium* ex *Lege* non scriptâ, seu consuetudine receptâ, quæ temporis diuturnitate invaluit, pendeat: At quam nos urgemus, *Lex scripta* est & publice promulgata.

*Membrum III. De Definitione.*

§ 7. *Definitiones Legis Civilis* fere tot sunt, quot *Authores de Legibus* qui scripserunt. Nos reliquis præferimus illam: *Lex est præceptum à summâ potestate promulgatum, subditis faciendæ & omitenda eum obligatione præscribens, ad salutarem Reipublicæ administrationem.*

§ 8. Hanc *Definitionem* resolvimus in suas partes. *Partes* ejus vero sunt *Genus* & *Differentia*. *Genus* constituitur *Præceptum*, quod est constitutio sive cum, sive absque *Personæ, Causæ, aut alterius Circumstantiæ* determinatione facta: & absq; *Determinatione* illa quando est, dicitur *Edictum*, alias *Lex generalis & absoluta*. Cum *determinatione* vero dicitur *Decretum* & *Lex determinata*.

§ 9. *Differentia* desumitur ab *omnibus Causis*: *Efficiens* enim designatur per *summam potestatem*: *Materia* seu *Objectum*, sunt *Faciendæ & Fugiendæ*: *Subjectum* cui sunt *Subditi*: *Forma* consistit in duobus: 1. *In vi obligandi*: 2. *In Promulgatione*. Ut enim obliget



obliget Lex, promulgata esse debet. *Finis*, quod respiciat *salutem Reipublica*: *Verum* de his in sequenti membro plenius agetur.

*Membrum IV. De Causis.*

§. 10. Felix audit, qui potuit rerum cognoscere causas, & merito: Quid enim illum fugiet in rei ejusdam cognitione, qui ejus novit *Essentiam*, *Ortū*, & *Usum*: Operam igitur dabimus maximam, ut & hujus *Materiae causas* recte investigemus.

*Punctus 1. De Causa Efficiente.*

§. 11. *Efficiens Legum* prima quæ sit, iterum variant *Sententiæ*. *Ethnici* ad Deos suos, uti omnia cætera, ita & Legum ortum retulerunt, & quidem *Minervæ* assignarunt ob *Sapientiam*: *Saturno* ob *prudentiam*: *Jovi* ob *potestatem Regiam*: *Phæbo* ob *Justitiam*: *Mercurio* ob *facundiam* in persuadendâ plebe. *Alij* ad *Homines* respexerunt, & derivarunt *Leges primas*, vel à *Cerere* seu *Iside* *Ægypti* *Reginâ*, vel à *Rhadamanto* *Cretensium* Rege, ut *prudentiores* ex *Ethnicis*: vel à *Moyse*, ut *Theologi*: vel à *Nimrodo* seu *Belo* *Babylonico*, ut *Politici Christiani*.

§. 12. Nos autem de primâ *Legum origine*, & quidem *determinatarum*, parum solliciti, inquirimus *hic Efficientem Legum in se*, eamque statuimus vel *Universalem*, vel *Particularem*. *Universalis DEUS* est, qui ut ab initio *Leges Naturæ humanæ* in sevit, & primus *Populo suo* promulgavit: ita ex *scintillulis lucis congenitæ* residuis, in omnibus *Rebus publicis bonarum Legum* adhuc *Author* est. *Particulares* sunt *Homines Prudentes*, qui partim ductu lucis *Naturæ*, partim etiam usu & *experientiâ* edocti, utiles & *Reipublicæ* salutares invenerunt *Leges*. Hi autem non possunt esse *privati*, quia *publicâ* *Authoritate* non pollent, sed ij, penes quos est *summa potestas* in *Reipublicâ*, cujus jus esse ut *Leges* condant, alibi evincitur.

§. 13. Cum autem ii qui *Majestatem* administrant, *Sapientum* consilio in *Legibus* condendis uti solent, imo debent, *Subdistinctio* *Efficientiæ* *Particulari* enascitur in *Principalem* & *Instrumentalē*. *Principalis* est qui *Reipublicæ* præest; sive *Princeps*; sive *Optimates*, sive *totus sit Populus*. *Instrumentales* sunt *Viri prudentes*, quorum *curæ* hoc *demandatum*, ut *jussu* & *authoritate* *Principis* in *Repub.*



Republicâ Leges ab illo approbandas & muniendas figant: Et hinc lucem fœneratur controversia: An Principum authoritati decedat, si Sapientes in Consilium adhibuerint: nam hoc ipso tantum abest, ut Majestatem suam imminuat Princeps, ut potius felicitatem Imperij administrandi magis promoveat, & rectitudinem consilii, quod à pluribus Sapientibus animabus conceptum, probet Subditis.

§. 14. Circa *Efficientem* autem duo expendenda se offerunt. 1. est *Legis Norma*: 2. *Legislatorum requisita*.

§. 15. 1. *Norma* seu *Fundamentum Legis* est *Ratio*, quam hinc Animam Legis esse dicunt: Lex ergo in Ratione semper fundari, & ex illâ æstimari debet: Ubi ergo non est ratio sive vera, sive probabilis saltem, ibi nec vera Lex est: nam justitia, quam respicit Lex, *Habitus animi* talis est, qui absq; ratione nec esse, nec subsistere potest. Interim tamen rationem Legis non semper superstitionisè inquirendam esse volunt Authores gravissimi: Nam licet semper quidem ratio subsit, non semper tamen à nobis inveniri potest, quia ignoramus sæpe casum, ejusque circumstantias, ex quarum occcasionem Lex illa lata, quæ nobis quandoq; paulo longius à ratione abire puratur.

§. 16. 2. *Legislatorum requisita* sunt partim *generalia*, partim *specialia*: *Generalia* sunt (1) *Pietas & Religio*: quid enim boni ab illo expectabis, qui DEUM non curat & Religionem susque deque habet? (2) *Amor Reipublicæ*, ut cedant omnia in ejus commodum: hinc illud pervulgatum: *Salus Reipublicæ suprema Lex esto*. (3) *Studiū Disciplinæ*, quam ut Legibus suis authoritatem conciliant, vitæ integritate alijs persuadere, debent: & hinc antiquiores, quoties Leges ferrent ad populum, profitebantur eas sibi divinitus inspirari. *Specialia* sunt, ut rationem habeant 1. *Regionum*: 2. *Conditionum populi*: 3. *Vicinorum*: nam nationes aliæ, quia aliis vivunt moribus, alias requirunt Leges.

#### *Pandæus 2. De Materiâ.*

§. 17. *Materia Legum* est duplex: *In quâ*, & *Circa quam*: *Materia in quâ*, alias *Subjectum*, est vel *Informationis* vel *Denominatio-nis*. *Informationis Subjectum* est *Intellectus Practicus*, in quo habitualiter Lex cognoscitur: si autem *Scripta* sit, *Subjectum* est *Codex*;



dex; & si prolata, Aures audierum. *Denominationū Subiectam*, quod  
 alias *recipiens* & *cui* vocatur, à Politicis consideratur vel *Negative*,  
 vel *Positive*: *Subiectum cui Negative* quando consideratur, tum Le-  
 ges non sunt ferendæ (1) *Angelis*: Unde patet quanta fuerit impu-  
 dentia Clementis VI. Pontificis Romani, qui edictum evulgavit,  
 in quo Angelis in mandatis dedit, ut eos, qui peregrinationis tem-  
 pore morerentur, in Regnum cœlorum transferrent: (2) Neque  
*Beati* Leges sunt ferendæ, siquidem vulgatum est Emblemā:  
 Τὰ ὑπὲρ ἡμᾶς, ἔδεν πρὸς ἡμᾶς. Merito igitur & Macarius Ar-  
 chiepiscopus Kiofensis in Ruteniā vituperio dignus, qui idem D.  
 Petro per Edictum, vel ut ille vocat, *passam portam* injunxit. Videat-  
 ur Christianus Matthias lib: 3 Systematis Politici p. 372.

§. 18. *Subiectum cui* verò *Positive* consideratum sunt Homines,  
 & quidem illi, qui intra Territorium cujuscunque Civitatis seu Rei-  
 publicæ continentur; non vero alterius regionis Incolæ: Vulga-  
 tum est enim Axioma Juris: *Extra Territorium jus dicenti im-  
 pune non paretur*. Hinc etiam *Territorium* dictum à terrendo, quod  
 scilicet Magistratus ejus loci jus terrendi, seu vim coercendi intra  
 fines suos habeat.

§. 19. *Materia circa quam* seu *Objectum* ut constat, notandum,  
 de quibus Leges ferri possint. Non enim ferendæ sunt (1) *De re-  
 bus æternis, necessariis & naturalibus, tum extra & intranos*, quia  
 non sunt in nostrâ potestate, & consilio evitari nequeunt. Sic ri-  
 dicula est Lex Indorum, quâ Rex Japoniæ juramento obstringitur,  
 se effecturum, ut justo tempore sit serenitas, neve imbres, grandi-  
 nes, aut alia ejusmodi frugibus noceant, ut patet ex Historiis Indi-  
 cis: Neque (2) *de rebus fortuitis & plane impossibilibus*: Neque  
 (3) *de iis rebus, quæ sunt extra nos & ad nos non pertinent*, ut si quis  
 hic præcipiat reformandum esse Papam Romanum: Neque (4) *de  
 rebus ridiculis*; aut *quæ manifesta sunt vitia*, qualis Lex est Sybari-  
 tarum: *Nemo nostrum frugi esto*: Philippus Camerarius in horis  
 subcisivis, centuriâ I. p. 171. Neque (5) *de Fine ipso*, quia Finis  
 nunquam sub consultationem cadit: Neq; (6) *deniq; vel impli-  
 cite, vel explicite pugnare debent Leges cum Jure divino & Na-  
 turali*. Sed ferendæ sunt Leges de *Actionibus hominum liberis*. Hæ

B

autera



autem sunt vel 1. *Laudabiles*; vel 2. *Pravae*; vel 3. *Adiaphora*. *Laudabiles* Legibus opus non habent, sed tantum *pravae*. *Adiaphora* quoque post Legis determinationem fiunt necessariae. Hisce igitur figendae sunt Leges, prout 1. à cive bono requiri; 2. ab ipso praestari; & 3. ad salutem Reipublicae referri possint, id est Reipublicae salutare, possibile ejus membris, nec justo leniores aut severiores.

*Punctus 3. de Formâ.*

§. 20. *Forma Legû* consistit in ligando actiones hominum externas, ad Reipublicae salutem & commodum.

§. 21. Ex hoc alij tres actus formae eliciunt, quorum primus consistit in *Indicando*, quid faciendum sit & fugiendum. Hoc autem, sive fiat per Scripturam, sive alio modo, perinde est. Nam Spartani Leges suas habuerunt, etiam si nullas scriberent, praestat tamen in Scripturam redigi, ut memoriae consulatur, ne verba aut sententia Legis ex hominum perversitate immutetur. Secundus actus formae consistit in *Mandando & promulgando*, respectu summæ potestatis, unde proficiunt Leges, ut faciendae in actum ducantur, & fugienda omittantur. Tertius constat in *obligando*, respectu Subditorum, quorum actus ita ad praescriptum finem diriguntur. *Formale* ergo *Legû* est, uno nomine ut exprimat, *Constitutio obligatoria*. Ut autem Lex actu obliget, debet esse promulgata, nam licet vim obligatoriam ex naturâ suâ semper habeat, notandum tamen, quod obligationem actualem tum primum nanciscatur, cum promulgata & cognita sit.

*Punctus 4. de Fine.*

§. 22. *Finis Legum* est duplex, *Ultimatus & Subordinatus*; & *Ultimatus* iterum vel est *Theologicus*, vel *Politicus*.

§. 23. *Finis Ultimatus Theologicus est Gloria DEI*. Etenim, omnes actiones nostrae DEUM tanquam Scopum & finem ultimum semper sibi propositum habere debent, & ut D. Paulus monet 1. ad Corinthios 10, v. 31. Quaecunque facitis, omnia in gloriam DEI facite.

§. 24. *Finis Ultimatus Politicus est Salus Reipublicae*; Non enim privato commodo, sed pro publicâ civium utilitate Lex consecuta est.

§. 25. *Sub-*



§. 25. *Subordinatus vero & proximus finis est virtutis & honestatis conservatio*, ut scilicet in officio homines reuneantur: Et hæc unica & sola causa est quæ immediatè & principaliter movit sapientes, ut Leges conderent. Si enim omnes probi & justii essent, non opus foret Legibus. Cum vero hodie, pro dolor! probitas laudetur & algeat; contra vero improbitas & vitia caleant, leges latae sunt, ut hac ratione homines, si non Virtutis amore, saltem formidine pœnæ à malo avocarentur, & ad bonum incitarentur, juxta illud Poëtae

*Oderunt peccare boni Virtutis amore,*

*Oderunt peccare mali formidine pœnae.*

Hinc ex malis moribus eruta sunt bonæ Leges, quemadmodum ex præcognitis morbis remedia salutaria inveniuntur.

*Membrum V. De Divisione.*

§. 26. *Leges variè quidem dividi possunt, quemadmodum supra ad Homonymiam aliquot divisiones adduximus. Alij quatuor Species arcessunt ex quatuor fundamentis obligandi. 1. Fato seu providentiâ DEI: 2. Naturâ: 3. Scripturâ: 4. Ratione.* Hinc *Lex* est 1. *Æterna*, quæ est æterna DEI providentiâ, (si hæc sub Legis nomine adduci debeat.) 2. *Innata*, quæ alias *Lex Naturæ* dicitur. 3. *Mosaica* Judæis promulgata: & 4. *Humana*.

27. Sed hæc si plenius evolvantur, 6. erunt Species: Nam *Humana* iterum vel est *Jus gentium*, vel *Lex fundamentalis*, vel *Civilis*: sed tres priores Legum divinarum Species Politicus quidem præsupponit, verum aliis disciplinis tractandas relinquit, & *humanas* solummodo pertractat, quæ probabili ratione à Magistratu feruntur, ut sint adminicula Legis Naturæ, videlicet determinantes circumstantias aliquas in executione Juris Naturæ, vel facientes aliquid de occasionibus servandi Jus Naturæ non pugnantes cum Jure naturali & divino: *Quartam* vero & *quintam* Speciem, licet non plane negligat Politicus, tamen hic loci, ubi de normâ Reipublicæ administrandæ agitur, primariò non attendit. Nam *Jus gentium* quod attinet, proprie Legis nomine non venit, sed potius Effectus est Legis Naturæ. *Leges vero fundamentales* in Republicâ constitutâ jam præsupponuntur, vel cum aliis per continuationem coincidunt,



unde potissimum *Leges Civiles*, quæ ad administrationem faciunt, hic attendendæ erunt.

§. 28. Has quidam in 6. *Classes* subdividunt, & 1. *Leges in Specie*, 2. *Plebiscita*, 3. *Senatus consulta*, 4. *Principum placita*, 5. *Pætorum Edicta*, 6. *Prudentum responsa* ponunt: at nos hanc Divisionem, ne septa. *Politica* hic transiisse videamur, plane missam faciemus.

§. 29. Alij loco *Divisionis* adducunt *partes Legum*, quæ sunt (1) *Exordium* (2) *Capita* (3) *Sanctiones*. *Exordium* est quod Legibus præmitti solet, ut major ipsis concilietur *Authoritas*: Estque *Titulus & præ eminentia Legislatoris*. *Capita* sunt summa eorum, quæ in Legibus vel jubentur, vel prohibentur. *Sanctio* seu *pæna* est, quæ transgressoribus sub finem denuntiatur. Sed nec hæc nomen *Divisionis* merentur, quia *Species Legum* non constituunt.

§. 30. Nos igitur loco *Divisionis* assumimus eam, quæ *Lex* dispescitur in *Universalem & Absolutam*; ac *Particularem & determinatam*: *Universalis* est constitutio sine determinatione circumstantiarum facta, quam supra *Edictum* vocavimus: *Particulari* contra est, quæ cum *Circumstantiarum* determinatione facta, & dicitur *Decretum*. *Utæque* iterum ratione *Materia*, quæ triplices à *Jctis* statuuntur: *Persona*, *Res*, & *Actio*nes, dividi: & *Particulari* etiam ratione *diversarum Rerum publicarum* varie considerari potest, sed hæc tanquam *Specialiora*, partim ad *Juris Civilis* interpretes, partim ad *Juris publici* *Scriptores & Historicos* amandamus, ne *falcem in alienam messem* misisse arguamur.

## QUÆSTIONES.

### *Quæstio 1. An Lex obliget ad impia & inhonestâ?*

Hæc quæstio, quamvis alias ab aliis sat abunde ventilata, nos tamen *melioris Thesum* nostrarum *cognitionis gratiâ*, eam hic quoque attingemus. *Intelligimus* autem per *Legem*, non *Divinam*, quia de illâ *dubium esse* nequit; sed *humanam*: & de hac quoque *Negativam* amplectimur. *Rationem* vero assignamus hanc, quod *Lex* fundetur in *Ratione*: Hæc vero *convenientiam* supponit cum *Legè Naturæ*, & reliquiis *imaginis divinæ*, quæ nil *impium & inhonestum* admittunt, sed *averfantur*. *Quod si ergo Lex* ferretur *con-*

tra



tra religionem & bonos mores, non obligaret conscientiam, quia vis superior obligans, magis nos obstringeret ad obediendum DEO & conscientia, quam hominibus. Non autem hic negamus obtemperandum esse Magistratus legibus, cum etiam malo Magistratui obsequium deberi sciamus, sed non in malis, & usq; ad aras. Verum id intendimus, quando vis obligans diversa se exerit, & inferior superiorem oppugnare incipit, tum ex natura subordinatarum Legum, inferior merito cedit superiori. Lex ergo Humana tam diu obligat, quamdiu non præcipit adversa Legi Naturæ & Divinæ, id est quamdiu non præcipit impia & inhonestæ.

*Quæstio 2. An Lex quadam obliget ad impossibilia?*

Ratio dubitandi est, quia multi Viri docti non audent asserere, Possibilitatem esse Universale Legis proprium, ob Legem Divinam, quæ nobis impletu est impossibilis. Hinc videtur sequi quasdam esse Leges, quæ ad Impossibilia quoq; obligent. Nos autem, licet quæstionem hanc primariò de Legibus Humanis conceperimus, tamen in genere asserere possumus, nullam plane Legem obligare ad impossibilia, adeoq; possibilitatem genuinum esse Legi proprium, omni, soli & semper competens, quia absurdum foret, Legem rogare de iis, quæ non sunt in nostrâ potestate: Et si talem promulgaret Tyrannus, non obligaret nos, juxta illud vulgatum: Ultra posse nemo obligatur. Nec obstat verò Lex Moralis, quia ex se & in se semper est possibilis, licet ratione Subjecti, ex Accidente, homini vitato facta sit Impossibilis.

*Quæstio 3. An Princeps solutus sit Legibus.*

Ratio dubitandi videtur hæc, quia qui Legem tulit superior est eâ, nec ab illâ obstringitur. Nos vero per distinctionem Legum diversarum hic respondemus: Leges enim sunt vel Divina, vel Natura, vel Humana. Hinc dicimus 1. Principem non esse solutum Legibus divinis, quia illæ obligant Homines universaliter, ut subditos DEI in Regno Potentiæ & Gratiæ: at hîc ex hominum sorte & censu eximere se non potest Magistratus, licet enim caput sit certæ Reipublicæ, tamen membrum est respectu Ecclesiæ, aut universæ societatis humanæ, unde primum obligatus manet DEO. Nec 2. Princeps solutus est Lege Natura, quia illa itidem



universaliter obligat conscientiam hominis; nisi igitur omni humanitate se exuere velit, & huic Legi obstrictum se fateri debet. 3. In *Legibus Humani* quoque non est solutus à *Legibus Reipublicæ*, cui præest, *fundamentalibus*, nam hæ sunt ipsius Reipublicæ, cujus princeps tantum est administer, & sic Leges istæ quodammodo sunt illo superiores, ad quas etiam observandas juramento magis obligari solet. 4. In *Legibus Civilibus*, & iis quas ipse Magistratus sanxit, *vis obligatoria duplicem admittit respectum* propter *duplices Personas Imperantium & Obedientium*. *Horum respectu* illæ dicuntur habere *vim coactivam*; illorum vero *respectu vim directivam*, quâ Magistratus cogi quidem non potest ad Legum observantiam à vi superiore, & hac ratione Legibus illis solutus dici potest: Interim vero Lex ex principiis connatis eruta, ex obligatione superiore dirigere debet quoque actiones Magistratus, ut quod aliis servandum præcipiat, ipse quoque suo exemplo observandam esse monstrat.

*Quæstio 4. An Leges semel lata iterum abrogari possint?*

*Negativam* videntur suadere rationes non adeo leves: Sic enim & Legum & Legislatorum evilesceat Autoritas. Nos tamen *affirmative* potius subscribimus, statuentes posse eas abrogari quidem autoritate ejus, qui condidit, sed sub certis conditionibus & cautelis: Si scilicet vel pietatem, vel honestatem, vel æquitatem ex novis emergentibus circumstantiis impugnare advertantur. Ad plenioram vero intelligentiam tria hic dicimus: 1. Non facile & temere suscipiendam esse mutationem arbitramur ob confusio nis periculum, quod allatæ rationes evincunt, sed consulto & tarde. 2. Si tamen mutationem urgentissima ratio exigit, Circumstantias Personarum, Locorum & Temporum expendendas monemus. & 3. Discrimen in ipsis quoque Legibus observandum censemus: quædam enim adhuc in vigore sunt; aliæ non. In his nil opus est abrogatione publicâ, quia usus & consuetudo hominum tacite abrogavit, quales fortè sunt Leges in Jure Justinianæo de servis & aliæ. Quæ vero ad huc vigent, illæ olim iterum prodesse possunt Reipublicæ mutatis circumstantiis, & sic in iis abrogatio locum non habet: vel plane inutiles sunt factæ Reipublicæ, & hæ



hæ sub dictis cautelis mutari possunt, licet aliæ adhuc facilius, aliæ  
difficilior.

*Quæstio 5. An Judex secundum Acta & Probata; seu vero  
secundum Conscientiam judicare debeat?*


Quæstio hæc quo ardua magis & difficilis est, eo nos pau-  
cioribus eam expediemus; illum qui plura hac de re scire ave-  
ad alios remittentes Authores, qui sat prolixè eam deducunt. Di-  
cimus ergò: Si Conscientia Actis & probatis in judicio opponatur,  
tum Judex potiorem rationem habere debet conscientia, quam  
actorum: Nam Conscientia magis nos obligatos, ac iis quæ ex  
Legibus humanis in foro disceptantur, supra ostendimus, præser-  
tim cum hic ex errore vel malitiâ variè peccari possit. Quod si igitur  
Judex per conscientiam noverit rem in judicio à litigantibus  
fraudulenter agi, debet illos, ubi exorbitare senserit, in ordinem re-  
digere, & ex collatis circumstantiis falsitatem confundere, vel si ex  
defectu testium aliter non possit, officium Judicis potius deponere,  
quam innoxium contra conscientiam suam & scientiam pronun-  
ciare noxium. Sed dicet quis: Si secundum Acta & probata non  
esset judicandum, tunc possent Judices corrumpi pecuniâ & quod-  
cunq; vellent facere, dicentes, se nosse vel innocentem esse reum, &  
sic injuste plecterent; vel reum esse innocentem, & sic iniquè eum ab-  
solvent, aut certe non punirent, quod in Magnum cederet Rei-  
publicæ detrimentum. Sed Respondemus, nostram mentem non  
esse, quod Judices ex privatâ sententiâ possint vel debeant autho-  
ritate judiciariâ, vel condemnare, vel absolvere: sed hoc tantum  
nos urgemus, quod contra conscientiam Judex non debeat aliquem  
condemnare, verum potius certæ suæ scientiæ fundamenta & indicia  
proferre, falsos testes convincere, vel si id facere nequeat, officium  
Judicis potius deponere, quam iniquam sententiam ferre. Mens  
erat hæc altius quidem deducere, & illustribus Exemplis, puta Sala-  
monis & aliorum illustrare, sed chartæ angustia id prohibet. Ideoq;  
cum Witzendorffio hic concludimus, & Judicem secundum Le-  
ges strictè judicare debere dicimus, nisi ubi aut Lex nulla est, aut  
circumstantiæ Legis rigorem molliunt, tum enim æquitas & Con-  
scientia magis servanda sunt.

COROL.



## COROLLARIA.

1. *An præter Legem Natura etiam Legibus Politicis opus sit. Aff.*
  2. *An Scriptio sit de Legis essentiâ. N.*
  3. *An Christianis Ethnicorum Legibus uti liceat. Affirm.*
  4. *An Legum multitudo accommodatio sit ad justitiam, quam earum paucitas. Resp. Leges sint breves & pauca: executio vero certa, stricta, & si opus fuerit, frequens.*
- Gloria sit Patri, sit Nato Gloria, Sancto Spiritui, Sacræ Gloria sit Triadi.



*Præstantissimo Politissimog*

## DN. RESPONDENTI DE LEGIBUS DISPUTATURO.

**L** Ex tacet: Arma crepant: Pax exultat: occupat orbem.  
Mars; hastamq; vibrat: Teutona terra gemit.  
Jus sit Vis; aut Lis: Fraus, Ars. ô secula, mores!  
Politices tamen hoc nomine vendit homo.  
Ah Domine in quæ nos servasti tempora! Mundo  
exeat, aut latitet, qui volet esse pius!  
GERDESI, Leges tu contra opponis, & asum  
urges; sic Jus & Fas tenuisse studes.  
Perge, placet studium: faveat conatibus, opto,  
qui primus Legis lator & author erat.

*Ita accl. m.*

PRÆSES.

---

**L**egum sacrarum tua dissertatio amantem  
Te probat esse: sui tibi posthac reddet amanti  
Dona Themis, Clari Patris ut vestigia calces.

*Præstantiss. Dn. Respondenti LL. Studioso industrio  
amico suo dilecto gratul.*

Henricus Schudman / LL. Studiosus.











hæ sub dictis cautelis mutari possunt, licet al  
difficilibus.

*Quæstio 5. An Judex secundum Acta &  
secundum Conscientiam judicet*

Quæstio hæc quo ardua magis & diffi  
cioribus eam expediemus; illum qui plura h  
ad alios remittentes Authores, qui sat proluxe  
cimur ergo: Si Conscientia Actis & probatis i  
tum Judex potiozem rationem habere debet  
actorum: Nam Conscientiæ magis nos obli  
Legibus humanis in foro disceptantur, supra  
tum cum hic ex errore vel malitiâ variè peccar  
tur Judex per conscientiam noverit rem in  
fraudulenter agi, debet illos, ubi exorbitare se  
digere, & ex collatis circumstantiis falsitatem  
defectu testium aliter non possit, officium Jud  
quam innoxium: contra conscientiam suam  
ciare noxium. Sed dicet quis: Si secundum  
esset judicandum, tunc possent Judices corrup  
cung; vellent facere, dicentes, se nosse vel inno  
sic injuste plecterent; vel reû esse innocentem  
solverent, aut certe non punirent, quod in M  
publicæ detrimentum. Sed Respondemus, ne  
esse, quod Judices ex privatâ sententiâ possin  
ritate judiciariâ, vel condemnare, vel absolv  
nos urgemus, quod contra conscientiam Judex  
condemnare, verû potius certæ suæ conscientiæ fi  
proferre, falsos testes convincere, vel si id fac  
Judicis potius deponere, quam iniquam sente  
erat hæc altius quidem deducere, & illustribus  
monis & aliorum illustrare, sed chartæ angustia  
cum Witzendorffio hic concludimus, & Ju  
ges stricte judicare debere dicimus, nisi ubi  
circumstantiæ Legis rigorem molliunt, tum e  
scientia magis servanda sunt.



is, aia  
vero  
spau-  
vet,  
Di  
natur,  
quam  
uæ ex  
rafer-  
si igi-  
atibus  
m re-  
el si ex  
onere,  
onun-  
a non  
quod-  
am, &  
um ab  
t Rei-  
non  
utho-  
ntum  
quem  
ndicia  
icium  
Mens  
Sala-  
deoq;  
m Le-  
t, aut  
Con-  
ROL-